

XXVIII.

DISSERTATIO IVRIDICA
DE
AEQVITATE
ET
VSV PRACTICO

L. 2. C. de rescind. vend.

PRAESIDE
IOHANNE GODOFREDO
SCHAVMBVRGIO

I. V. D. ADVOC. IMMATIC. ET ILLVSTR.
REGIM. SERVEST. ORDIN.

IN ILLVSTRI AD ALBIM ACADEMIA

DIE XII. NOVEMBR. 1715 CCXXV.

HORIS CONSVETIS

IN AVDITORIO ICTORVM
PVBLICE DEFENSA

AB

HENRICO ABRAHAMO HILBERTO
LL. CVLT. GERA-VARISCO.

VITEMBERGAE, PRELO GAEBERDTIANO.

V I R O
SVMME-VENERANDO, MA-
GNIFICO AMPLISSI-
MOQVE

DOMINO
IOH. ANDREAE
GLEICHIO

POTENTISSIMI SARMATARVM
REGIS, AC PRINCIPIS ELECTORIS
SAXONIAE A CONSILIIS ECCLE-
SIASTICIS, ET CONCIONIBVS
AVLICIS ETC.

DOCTORI THEOLOGO GRAVISSIMO
CELEBERRIMOQVE

MAECENATI SVMMO

DISSERTATIONEM HANC ACADEMICAM
HVMILITER DEDICAT CONSECRATQVE



VIR
SVMME VENERANDE
ATQVE
MAGNIFICE

MAGNUM esse, quilibet bonus ac probus fatebitur, illam felicitatis benevolentiam osculari, ex una eademque regione, cum uiro, et ingenii acumine, et doctrinam diuinorum magnitudine, et meritis in Ecclesiam puriorem, praestantissimo, esse ortum: in una eademque ciuitate, et propter rempublicam, litterarumque politiorum culturam et mercaturam opulentam, celeberrima, lucem aspicere, *praeclarum*: Illius uero patrocinio et subsidio bearri iuxta ex-hilarari, prope *diuinum*. Cum igitur VIR MAGNIFICE SVMME REVERENDE, ANTISTES purioris coetus GRAVISSIME idem ille mihi felicitatis fauor aliqua ex parte obtigit, non possum non, me felicissimum praedicare, mihiique ipsi de tanta fortunae pro-
pen-

pensione benignissima gratulari. Suauissima namque
mentis animaduersione et dulcissima animi recorda-
tione recolo, qui, cum summos, propter profundis-
simam rerum diuinorum cognitionem, honores, in
Alma nostra Leucorea, ex meritis adeptus, me, TIBI
eosdem gratulantem, non solum suauissime exce-
pisti uerum etiam TVI fauoris *gratiam* uberrimam
sanctissime mihi es pollicitus, quid? quod me eadem
beari haud fuisti dignatus, ut merito inde habe-
am, cur laeter de fortuna, quam felicissime in me
redundante Accipe igitur quaeſo VIR MAGNI-
FICE, gratissimi TIBIQUE deuinctissimi animi te-
stem, accipe gratae mentis documentum, accipe
in obſequientissimi animi testimonium, has *primi-*
tias meas Academicas, quas mea Themis TIBI sa-
cras esse cupit, TVI gratiosissimi uultus aspectu di-
gnare, easdemque sub umbone fauoris TVI, in me
propensissimi recipe, quae, si desiderio non satisfa-
ciant, mentem tamen TIBI deuinctissimam intu-
eare, splendorisque TVI magnitudine easdem beare
noli dignari. Deo supplicibus iisdemque piissimis
precibus ac uotis supplicabo, ut diu TE, Amplissi-
mi religionis Antistitum confessus ORNAMENTVM
ac DECVS fospitem, quam longissime, Ecclesiae
diuinae supereſſe iubeat, et seros quoque annos
felices TIBI ac faustos esse largiatur gloriamque
TVI nominis, ornamentaque eodem tenore con-
ſerueret,

seruet, et quae destinas, quaeque agis, approbet,
ut TE saluo, salua sit et mea sortis conditio, flo-
rant sacra, et litterae, quae curis meritisque famae
aeternitatem rependent, quo diutissime uerae fidei
aslertorem, purioris doctrinae vindicem, et coe-
tus, sanctissimo numini dicati, propugnatorem Ec-
clesia, maxime his miseris temporibus, exosculari
ualeat, TEQVE superstite, pestilentissimae opini-
ones, quae, quasi contagione quadam, paulatim ser-
pentes, per omnes propemodum christiani nominis
prouincias peruidunt, disiificantur, dissipentur ex-
tinguantur; econtrario christiani nominis fines, quam
longissime propagentur. Haec Pietatis meae sum-
ma est, quam perpetua pietate testabor. Ita TE
DEVS VIR SVMME VENERANDE custodiat,
protegat, tueatur, ex intima cordis abyso, et men-
tis, qua potest, submissione, precatur

TIBI

Vitembergae
die XI. Nouembr. 1725.

*deuisu*ctissimus**

HENRICVS ABRAHAMVS HILBERTVS
Gera Varisc.



Q. D. B. V.

DISSERTATIO IVRIDICA

DE

AEQVITATE ET VSV
PRACTICO

L. 2. C. de Rescind. Vendit.

§. I.



ostquam Ius Iustinianum semel in Germania receptum est, legisque uigorem accepit etenim, quatenus moribus German. non contrariatur, uel quatenus Iura patria casus non deciderunt, neque etiam ratio legis interpretandi regulis adhibitis casui applicari posuit, Doctores in eo fuerunt, ut demonstrarent in multis negotiis Iuri Romano tribui quandam autoritatem, cum tamen uel leges Ciuiiles aliam plane rationem praesupponerent, uel statui Romanorum pror-

A 2

sus

sus propriae essent. Maximam hac in re collocavit operam Excellentissimus I^{CTUS} Christianus Thomasius, ceu eius Dissertationes hanc ob causam conscriptae abunde docent.

§. II.

Inter alia quoque non solum in aequitatem, sed etiam in usum Practicum L. 2. Cod. de rescind. uendit. grauiter inuehit, et contrarium plane demonstrare conatur. Sed cum haec res nondum adeo expedita sit, pace tanti Viri alienam ab eo sententiam non contradicendi animo, sed exercitii gratia defendamus, scilicet quod non solum d. l. 2. satis aequa sit, sed usum quoque practicum in plurimis Iuris materiis sortiatur.

§. III.

Superfluum uero duximus multis hic repetere, in quonam consistat haec querela ex L. 2. Cod. de rescind. uendit. cui detur, et contra quem competit, cum haec omnia ex Pandectis iam satis nota sunt. Potius praemonendum erit, in quonam consistat istatus controversiae. Quod ut eo melius fiat, notandum est, hic non loqui de illo casu: an d. l. 2. locum habeat, si laesio ex dolo uel emtoris uel uendoris proficiscatur, hic enim leuissima quaevis attenditur laesio, annuente ipso Dn. Thomaf. d. Dissert. c. 7. §. 4. Iura enim decipientibus non sunt scripta. Nec sermo est de illo casu: an opus sit rescissione ex d. l. quando magistratus in rem pretium certum et legale constituit, hic enim

enim iterum laesio leuisima sufficit, hac tamen notata distinctione: an premium in gratiam emtoris constitutum, an in gratiam uendoris, ita ut pretio in gratiam emtoris constituto hic tantummodo contractum rescindere possit, non uero uendor, et u. u. Confer. Lauterb. Colleg. Theor. Pract. tit. de rescid. uendit. §. 18. n. 1. sed loquitur hic tantummodo de cau, an L. 2. C. de rescid. uendit. locum inueniat, si quis absque dolo, et in rebus quae arbitriuum premium recipiunt uel enormiter, i. e. ultra dimidium iusti pretii, uel enorissime laesus sit, si nec tertiam uel quartam partem uerae aestimationis acceperit, quod ex rationibus postea adducendis afferere non dubitamus.

§. IV.

Ante uero quam hoc ipsum demonstramus breuiter de aequitate l. 2. C. de rescid. uendit. quaedam disputabimus. Saepe laudatus Dn. *Thomafius* iniquitatem eius exinde praeprimis probatam facere uult, quod (1) aequitas nostrae legis non sit perpetua, cum non solum ipse Diocletianus autor legis eam denuo in l. 8. Cod. eod. correxerit, ita ut dubium non supersit, priorem legem sub et obrepticie fuisse impetratam, sed etiam notum sit, hanc legem neque ante tempora Diocletiani usu inualuisse, quod probat ex Petr. Aerod. rer. iudic. L. 4. tit. 7. c. 2. neque post eum seruatam fuisse, cum eam successores Diocletiani statim correxerint, uid. l. 1. l. 4. l. 7. C. Theodos. de Emt. uend. (2) quod pretia rebus non insint, sed a mero hominum arbitrio dependeant, resque in infinitum aestimari possit. (3) quod legi nostrae multa loca obstarent,

A 3

ini-

iniquitatem eius satis demonstrantia scil. d. l. 8. C. de
rescind. uendit. l. 15. C. eod l. i. §. 16. ad SCtum Trebell. l. 82.
ad L. Falcid. l. 29. pr. de donat. l. 53. de R. I.

§. V.

Sed omnia nos non commouent, ut huic sententiae subscribamus. In genere enim lex nostra se fundat in illa aequitate, ex qua plures aliae conditiones fluunt, scil. ne quis cum alterius damno locupletior fiat. Et haec aequitas sane cerebrina non est, sed potius ex ipsis principiis Iuris Naturalis satis conspicua, quippe quae dictitant, ut nemo alterum laedat, vel ex alterius damno lucrum capiat. Ad haec Thomasio d. *Dissert. c. i. §. 3.* lex aequa dicitur, quae nulla duritie vel inclemencia laborat, quod sane in nostra lege seruatum, et potius prospectum fuit, ne quis contrahentium occasionem acquireret, de iniuitate conquerendi. Si enim alteri tribuitur, quod iure perfecto praetendere potest, hoc non iniuitatem, sed summam aequitatem sapit. Sane emtor non grauatur, si condemnatur ad praestationem eius, quod summo iure debebat, maxime cum ipsis arbitrio relictum sit, an uelit id, quod iusto pretio deest, supplere, an accepto eo, quod iam soluit, rem restituere. Et quod regula Iuris Nat. supra adducta reuera fuerit ratio nostrae legis, exinde conspicuum est, quod emtor amplius conueniri non possit, quando res apud eum sine dolo, culpa aut mora periiit. Richter. P. 2. *Decis. 95.* cum sic non factus est locupletior Schilter. Exerc. ad Pandect. 30. §. 100. quae sententia satis confirmatur per l. 26. §. 4. de roxa. action.

§. VI.

§. VI.

Et haec quoque aequitas, quod scil. nemo cum alterius damno debeat fieri locupletior, perpetua est. Nam ex ipso iure Naturali, quippe quod perpetuum est, fluit; Nec hic quicquam operatur, *quod l. 2. C. de rescind. vendis* quae aequitate illa nititur, nec obtinuerit ante Diocletianum, neque post eum. Aequitas ipsa manet sane perpetua, licet LLbus Civilibus firmata non sit. Imo ipse Aerodius loco supra allegato aequitatem hanc satis agnoscit, inquiens. *Quid tam naturae inconueniens, quam alterum circumuenire ac decipere? cum alterius damno ac injuria locupletari? aequalitatem non seruare?* Imo legem ipsam Diocletiani deinde ciuilem humanitatem uocat, simulque dolet, eam antea non inualuisse. Quamobrem laudandus maxime est Diocletianus, quod hanc aequitatem naturalem, quam homines rebus aliorum inhiantes et ad uitia natura proclives iam dudum obliuioni mandauerant, denuo in usum reuocauerit.

§. VII.

Ipse Diocletianus quoque sibi *in l. 8. C. de rescind. uendit.* non contradicit, sed omnia haec optime cohaerent. Profert quidem rationes multas, ex quibus concludere liceret, uenditionem ob pretium minus iustum rescindi non debere, interim tamen limitatio in fine addita: *nisi minus dimidia iusti pretii, quod fuerat tempore uenditionis, data esset,* satis innuit, omnia antea adducta restringenda tantummodo esse ad laesionem uilio-

uiliorem et minimam. Et uereor, ne sine suffici-
enti causa Tribonianus accusetur, quod haec uerba
propria autoritate addiderit. Hoc enim nondum sa-
tis demonstratum est, nec probabile redditur. Mu-
ulta enim iam uiri eruditii, qnae alias a Triboniano in-
terpolata sunt, emendarunt, nemo autem hactenus
adductus est, qui nostram legem interpolatam esse
cum fundamento adstruxisset, omnia enim ita co-
haerent, et aequitate generali supra adducta ita ni-
tuntur, ut uix uerbulum obiici possit.

§. VIII.

Leges deinde post Diocletianum a Constan-
tino M. Gratiano, Valentiniano, et Theodosiano
latae et Codici Theodosiano insertae legi nostrae
non contrariantur, sed explicandae tantummo-
do erunt de laesione uilissima et quae dimidiam
partem ueri pretii non excurrunt. In genere quidem
de pretio uiliori loquuntur, interim tamen nil legi
Diocletiani detrahunt, quippe in qua aequiter asseritur,
ob pretium uilius uenditionem non esse rescindendam.
Et si uel maxime, quod tamen factum non
est, Legem Diocletiani correxisse, aequitatem ta-
men ipsam, in qua nostra lex se fundat, non correxe-
runt, neque corrigere potuerunt, cum haec semper
fuerit et manebit perpetua, hominumque cordibus
inscriptum sit, ne ex alterius damno lucrum capiant.
Ut taceam, has leges Imperatorum, si forsan aliquid
a Lege Diocletiani diuersum statuissent, denuo per
uarias Constitutiones Principum nostrorum ex post
facto abrogatas, et legem Diocletiani denuo in usum
uocatam esse, quod infra satis demonstrabitur.

§. IX.

§. IX.

Porro dissentientibus facile quidem largimur,
 pretia rebus non inesse, sed rem tanti aestimare posse,
 quantiemtorem inuenit, nec cum *Schiltoro Exerc. 30. Tb. 27.*
 facimus, quod quilibet in conscientia obligetur, rem
 pluris non aestimare, quam reuera sit, sed quid exinde?
 eo ipso sane aequitas nostrae legis non interuertitur.
 Aestimet quis, quanti uelit, emat quis rem quanti uelit,
 eo ipso tamen non sequitur, quod alter iure obligatus
 sit, damnum et laesionem enormem, quam ex contra-
 ctu sentit, ferre, uel alter securus sit, quod uendoris
 damno locupletior factus fuerit. De hoc enim casu lex
 nostra disponit, et uendori succurrat, ut id, quod iu-
 re praetendere poterat, acquirat. Nec est quod dicas,
 sibi imputare debere uenditorem, quod rem tam uili
 pretio alienauerit. Finge enim, adesse multa commo-
 da in reuendita, quae uendori nescit, quod sane con-
 tingere potest e. g. uendori absenti leguntur aedes
 cum omnibus pertinentiis, ex eius re tamen non est,
 ut ipse has aedes retineat, hinc alteri commitit, ut
 emitorem quaerat, hic contractum celebrat cum emto-
 re, et ipsi aedes illas cum omnibus pertinentiis uen-
 dit, uendor deinde notitiam acquirit, emtori mul-
 tas simul cum aede traditas fuisse accessiones, pluri-
 ma aedibus illis competere priuilegia, de quibus an-
 tea scientiam plane non habuit, cum de contractu
 sermo fuerit, ita ut ultra dimidium valorem recepi-
 sent, modo ex aequo et bono omnes illae accessiones
 ab initio fuisse aestimatae, sane hic uendori
 culpa quaedam imputari nequit, quod rem tam uili
 pretio uendiderit, Finge porro; Tutorem pupilli

B

nomine

nomine uendere fundum ultra dimidium iusti pretii, minori sane tunc culpa imputari nequit, quando deinde maiorenitatem adeptus, et tempore ad restitutionem ex capite aetatis iam praeterlapsso, ad rescindendum contractum a tutore gestum agit.

§. X.

Peruenimus nunc ad loca illa, quae alias contra aequitatem nostrae legis in medium proferuntur. Primus est *l. 8. C. de rescind. uendit* sed ad hanc iam responsum est §. 7. supra, quorsum nos remittimus, *Alter est l. 15. C. eod.* ex qua argumentantur, uenditorem sibi imputare debere, quod rem suam tam uili pretio, cuius ignarus esse nunquam praesumitur, alienarit. Ast, facilis hic est responsio, quod illa praesumtio scientiae probationem contrarii nunquam excludat. Sed uendor in iusta ignorantia constitutus omnino audiendus est, imo *d. 4. 15.* tantummodo loquitur de pretio paulo uiliori, adeoque in illa de laesione enormi plane sermo non est, nec rescissio contractus a uenditore ultra dimidium laeso petita prohibetur. Eadem ratio est *l. 29. pr. de donat. et l. 53. ff. de R. I. ex* quibus concludunt, quod ille, qui rem minoris uendit, quam quanti esse scit, donare uideatur. Nam hic neque loquitur de laesione enormi, neque excluditur probatio in contrarium, quod animus donandi plane non adfuerit. Quod attinet *l. 1. §. 16. ad Secum Trebell. et l. 82. ad L. Falcid.* ex illis quidem conspicuum est, rem tanti valere, quanti uendi potest, tantique aestimari posse, quanti emtorem inuenit, sed exinde non sequitur, quod uendor non possit agere ad rescinden-

scindendum contractum ob laesionem enormem,
quod thes. preced. iam demonstrauimus.

§. XI.

Haec sufficient dicta de aequitate *l. 2. C. de rescind.*
nendit. sicuti autem hanc Dd. denegant, ita quoque
usum Practicum huius legis nullum esse contendunt.
Potiora eorum argumenta in eo consistunt, quod re-
medium ex nostra lege institutum exoptatum effe-
ctum nunquam habuerit, sed uel male applicatum,
uel in probatione laesionis ultra dimidium defectus
adfuerit, adeoque quia remedii huius eventus possibi-
lis non detur, per se quoque clarum sit, quod non
entis nullae dentur affectiones, uid. *Thomaf. cit. Differt.*
c. 3. Natura Cons. 144. n. 11. Heig. P. 2. qu. 9. n. 27. sed omnia
salua sunt, prout iam demonstrabitur.

§. XII.

Primo enim exinde, quod haec lex ab Aduoca-
tis non fuerit utiliter applicata, uigor legis ipsius non
interuertitur. Si enim uigor legum ex incuria et im-
peritia Rabulistarum aestimaretur, de multis utilissimis
et saluberrimis legibus actum esset; Deinde ex illa ra-
tione, quod laesio ultra dimidium liquido plerumque
probari non possit, nihil amplius sequitur, quam quod
probatio laesionis plerumque inutilis et maxime diffi-
cillis sit, non autem concludi potest, quod probatio il-
la plane impossibilis sit. A difficultate enim ad impos-
sibilitatem N. V. C. Argumentari nobis potius liceat a
maiori ad minus. Notum est, negatiuae purae et simili-
cis difficillimam et plane desperatam esse probationem,

B 2 *coc-*

Cocceius enim in *Diss. de directa probatione negatiuae iam demonstrauit*, impossibilem eam non esse, sed optime fieri posse per consequentiam, e.g. Quando quis negat canonem ob Emphyteusin non esse solutum, et deinde testes producit, qui deponunt, Emphyteutam ad Dominum misisse et dilationem petitisse, sane hic adest optima negatiuae probatio. Si itaque hoc in casu probatio peragi potest, quae tamen multo difficilior est, quam si probatio laesio-
nis ultra dimidium instituitur, quid obstat, quo minus probatio fieri queat, si actio ex lege nostra in-
stituta fuerit.

§. XIII.

Obiiciunt uero, quod pretia rerum uariant pro si-
tu loci uel temporis, adeoque probationem laesio-
nis ultra dimidium plerumque effectu destitui, imo pro
impossibili plane habendam esse. Ast licet daremus,
in demonstranda laesione respiciendum esse ad locum
et tempus uenditionis *l. 8. C. de rescind. uendit.* licet
etiam concederemus, hic attendendum esse pretium
uulgare, non autem pretium affectionis *Carpou. Part.*
I. Conf. 34. Defin. 6. Exinde tamen impossibilitas pro-
bationis non euincitur; si enim adhibentur periti re-
rum aëstimatores, qui optimam de re, quæ in con-
tractum emtionis uenditionis uenit, notitiam habent,
probeque sciunt, quanti res uendita tempore uenditionis
ualuebit, et deinde processu instituto in rem
praesentem ducuntur, ut præuia oculari inspectione
pretium rei uenditæ arbitrentur, non video, cur lae-
sio ultra dimidium per eiusmodi aëstimatores proba-
ta dari non possit.

§. XIV.

§. XIV.

Reliqua argumenta, quae alias contra usum legis nostrae in medium proferuntur, ita comparata sunt, ut responsione ad eas fere supersedere possimus. Omnia enim huc redeunt, quod non possit proferri casus, ubi probatio laesioni ultra dimidium ex asse per acta uel alter, contra quem remedium ex lege nostra institutum est, condemnatus fuisset. Nam conclusio illa sane uapulat: Hic uel ille non potest proferre casum, quod laesio ultra dimidium liquido fuerit probata, ergo laesio plane probari nequit, consequenter quoque uetus l. 2. C. de rescind. uendit. nullus est; Alias enim et haec consequentia ualeret: Non potest proferri exemplum, quod debitor dolosus condemnatus fuisset flauo pileo incedere, Ergo haec poena ipsi plane dictitari non potest, consequenter quoque lex hanc poenam dictitans uigore suo destituitur, quod tamen nemo unquam dixerit.

§. XV.

Postremo pro usu pratico nostrae legis multum
afferunt Constitutiones Principum Germaniae, et con-
sensus plerorumque Doctorum *uid. Wernb. P. V. obser.*
234. ubi testatur, quod per id tempus, quo decisioni
causarum interfuit, non semel, sed saepius animad-
uerterit, et allegatam et probatam ultra dimidium
laesionem fuisse, *add. Carpzon. P. I. Const. 34. Defin. I.*
sqq. Schilt. Exercit. ad ff. 9. §. 18. Vinn. select. quaest. lib. I.
cap. 57. Notum enim est, quod leges se accommo-
dant ad negotia hominum, et quod non opus sit,

B 3 leges

leges ferre , nisi appareat de hoc uel illo negotio quaestione mōtū incidere. Deinde leges feruntur, non de negotiis , quae rarissime contingunt, sed potius de iis, quae ut plurimum fiunt. Nunc autem ad- sunt leges de usū pratico nostrae legis abunde disponentes, adeoque consequens est, quod de nostra lege in iudiciis orta fuerit controvērsia, quod etiam hoc ut plurimum ita factū fuerit, et adhuc hodie fiat, adeoque usus praticus nostrae legis adesse debeat.

§. XVI.

Cum itaque non solum aequitas nostrae legis sa- tis demonstrata sit, sed etiam uaria argumenta pro usū pratico huius legis laborent, nunc restat, ut ad- huc quaedam moneantur, in quibus casibus et ne- gotiis saepius allegata lex 2. C. de rescind. uend. locum inueniat. Primario quidem et in specie loquitur de contractu emtionis uenditionis ob laesionem ultra di- midium rescindendo, interim tamen communis usu- que forensi recepta sententia est, quod in omnibus illis contractibus et negotiis, in quibus mutuae et aequales praestationes requiruntur, adhiberi possit, illo scilicet casu , quando quis duplo plus dederit, quam accepit, uel duplo minus acceperit quam de- dit. Beneficium enim legis nostrae non tribuitur per- sonae sed laesioni, adeoque in quibus causis adest ea- dem ratio, in illis quoque idem ius statuendum erit. Tentabimus itaque, an ad speciales casus legem no- stram applicare possimus.

§. XVII.

§. XVII.

Primo loco extra omne dubium positum est, quod nostra lex locum habeat (1) in contractu emtionis uenditionis. Hoc lex ipsa docet, et in eo omnes ad unum usque consentiunt. In eo autem non conueniunt, an ad omnes emtionum uenditionum species applicari possit. Excipiunt enim (a) emtionem uenditionem rerum Geradicarum *Carpzon.* P. 7. *Conf. 12. defin. 12. Horn. Class. 4. Respons. 7. Lyncker Dec. 1361. et 1466. It. resol. 414.* et Lipsiensis apud *Magnif. Wernber. suppl. P. 4. obseru. 20. pag. 787.* et uxori ultra dimidium ex uenditione Geradae laesae beneficium legis denegant, exinde maxime, quod uxor optime pretium Geradae uenditae scire praesumatur, atque adeo minus enormiter laesa dici possit. Ast cum lex nostra generalis sit, nec unquam iure hodierno uenditio Geradae eximatur, adhaec nemo suum iactare uelle praesumatur, praesertim mulier, quippe quarum genus maxime auarum est, ita ut liberalitatem imprimis immensam ex argum: *l. 33. §. 1. de donat. inter vir. et uxor.* mulierum naturae repugnare dicant; sane uixori, quippe quae ob sexus imbecillitatem facilius laesionem incurrire potest, beneficium nostrae legis denegare, et maritum quoque ab instituenda actione ad rescissionem uenditionis rerum geradicarum arcerre, nefas esset. uid. *praejudicium in Bergeri Oecon. tur. pag. m. 278. seqq.* ubi tamen addit, quod maritus ex hac lege conuentus facilius eligat implementum pretii, quam ut contractum rescindi patiatur, quia hac pecunia tanquam heres mobiliaris mortua coniuge iterum

iterum potiri potest, add. Berger Part. I. Resp. 156. et P. 2.
resp. 164. Wernber. P. 4. obs. 22. et 23.

§. XVIII.

Porro sub lege nostra non comprehendi dicunt Emissionem uenditionem praeuio iudicis decreto factam, et quidem ex hac ratione, quod hic adsit autoritas magistratus, quae omnem fraudis et laesisionis suspicionem tolleret. *Carpz. L. 5. Resp. 54.* Sed contra-ria sententia nobis uerior uidetur. Licet enim decretum uel maxime interueniat, nihilominus tamen laesio non semper praecaueri potest. Nam hic iudex non sollicitus est de eo, ut pretium et ueram aestimationem rei uendenda eruat, sed tantummodo in cau-sam alienationis, qualis illa, et an praegnans sit, in-quirit, deque ea cognoscit, consensumque deinde su-um, quod alienationem attinet, interponit. Quia autem eo ipso laesio non impediri, sed facili negotio contingere potest, hinc nec dubitamus, quin lex no-stra huic calui optime applicari possit. *Conf. Magnif. Dn. Wernber P. 5. obs. 234.* Nec est quod dicas: Ubi iudicis decretum interuenit, ibi omnia praesumuntur solenniter acta. Nam, ut dixi, haec solennitas ipsam laesionem non saluat, et deinde hae praesum-tio non est iuris et de iure, sed iuris tantum, quae probationem in contrarium admittit.

§. XIX.

De eo autem magis dubitari possit, an emtio uen-ditio sub hasta facta *ex l. 2. C. de rescind. uendit. reuo-cari*

cari possit. Nam hic non solum obstat autoritas iudicij et solennitas subhaftationis, quam urgent *Moller L. 3. Semest. c. 12. Berlich Decis. 126. Dn. Werner P. 3. Obs. 148.* aliique plures. Sed etiam ex *L. 33. pr. ad L. Aquil. l. 18. §. ult. de m. c. donat.* argumentari licet, id pro iusto rei pretio habendum esse, quod populo ad licitandum admisso constitutum est. Ast haec non impediunt, quo minus contrariae sententiae adscribamus. Nam hic eadem subest ratio, quam dedimus *§. praeced.* intuitu emtionis uenditionis per decretum factae. Sicuti enim ibi, ita et hic prae sumtio solennitatis per probationem in contrarium elidi potest, quippe cum illa sit iuris tantum, non autem iuris et de iure. Nec iudicij autoritas hic iacturam patitur. Manet illa salua, licet res sub hasta uendita uindicetur. Subhaftatio enim a iudice quidem ad *indagandum* uerum pretium instituitur, ast si res non inueniat emtorem, qui eam, quanti reue ra constat, emat, iudex rem plus licitanti, licet iustum pretium non adsit, adiudicat, interim tamen laesionem non tollit, consequenter nec illi, cuius res fuit, potestatem adimit, eam iterum uindicare, si infra dimidium uendita sit, *praeprimis* cum ratio, ne quis cum alterius dannō locupletior fiat, semper maneat. Nec dici potest, uerum et iustum pretium erutum esse mediante subhaftatione, si liquido constat, rem infra dimidium iusti pretii uenditam esse. Iniustum sane esset, debitorem, uel minorem, cuius res mediante quidem subhaftatione, iniusto tamen pretio uendita est, arcere, ne pretium, quod tamen uel ipse rem nunc uenditam ab alio emendo, uel alio modo comparando insumfit, iure iterum exigat. Et

C

licet

licet leges ius reliundi debitoris intuitu bonorum sub hasta uendorum ad certum tempus restringant, non tamen de hoc nostro casu disponunt, nec rescissiōnem subhastationis ob laesionem ultra dimidium prohibent. Nec emtor habet, de quo conquerat, cum ad id tantummodo praestandum condemnatur, quod uendor summō iure praetendere potest. Quo usque itaque non adest lex specialis, prohibens, ne emtio uenditio sub hasta facta ob laesionem ultra dimidium rescindatur, eo usque standum est lege generali, hanc potestatem tribuente, et ratione, qua lex nititur, ne scilicet quis cum alterius damno locupletior fiat. Sane *l. 16. C. de rescind. uend. illi succurrēdūm putat*, cuius res iniquo pretio, licet hoc per publicam subhastationem factum, uenditae sunt. Consentientes hac in parte habemus *Brunn. ad l. 16. C. de resc. uendit. n. 4. Richter Decis. 99. n. 47. sqq. Sandium. L. 3. tit. 4. def. 12. Huber. ad tit. ff. de rescind. uendit. n. 5.*

§. XX.

Deinde (II) lex nostra ex paritate rationis applicatur ad Permutationem. Haec quidem ab emtione ita differt, quod ibi res pro re detur, hic autem res pro pretio, interim tamen permutatione cum emtione intuitu personarum contrahentium, qualitatis rei transferendae, praestationis euictionis etc. conuenit, adeoque et dispositionem *l. 2. C. de rescind. uendit.* admittit, maxime cum ratio, quod scil. nemo cum alterius damno locupletari, et iniustum lucrum captare debeat, in permutatione non cesseat. *Vid. Vinn. select.*

Select. quaest. L. I. c. 57. Ludou. Doctr. ff. tit. de rescind. uen-
dit. §. 6. Berger Oec. Iur. p. m. 674.

§. XXI.

Pari ratione (III) Familiae diuisio dispositionem nostrae legis admittit, Diuisio enim dicitur uicem emtionis sustinere *l. i. C. Commun. utr. iudic.* et hinc eiusmodi diuisiōnēm, ubi laesio ultra dimidium contingit, rescindi permittunt. *Carpe. P. 2. C. 34. def. 6.* Licet quoque diuisio, per sortem facta fuerit, nihilominus lex nostra utiliter applicari potest, cum laesio non contingat per sortem, sed per inaequalem partium constitutionem, quae sortem praecessit *Stryck. Cautel. Contr. Sect. 3. C. 4. n. 16.* Nunc quidem *Lauterbach in Comp. ff. ad tit. famil. hercisc.* modicam quoque laesionem in hac diuisione resarcendam esse putat, ex ratione, quia omne id, quod in b. f. iudiciis inaequilater factum est, in melius reformari debeat. *l. 3. C. Commun. utr. iudic.* sed haec ratio nil ad rem confert, Ematio enim uenditio quoque est iudicium b. f. et nihilominus tantummodo rescissionem ob enormem laesionem admittit. Hinc potius cum *Stryckio ad Lauterb. tit. famil. hercisc.* distinguimus, an laesio contigerit circa aestimationem rerum, an circa ipsam earum diuisiōnēm e. g. si de 100. ouibus alter acceperit 52. alter 48. ita ut in illo casu laesio enormis, hoc autem qualiscunque laesio attendenda sit.

§. XXII.

Porro asserere non dubitamus, quin (IV) lex
C 2 nostra

nostra quoque locum inueniat in Lōcatione Conducione. Nam et haec emtioni uenditioni tam proxime accedit, ut saepius eadem regulae utrius contractui applicentur *pr. I. Locat. Conduct.* Obiiciunt quidem nonnulli, quod conductori non denegandum sit commodum ex re conducta percipiendum *per I. 25. §. 6. ff. eod.* Sed hoc non debet excurrere alterum tantum, et cum damno locatoris coniunctum esse. *Carpzon. P. 2. C. 34. def. 34. Caroc. de locat. P. 1. qu. 70. n. 2.* Duo quoque hanc in rem praeiudicia adducit *Struuius Dissert. de admodiatione ib. 34.* Et ex his facile ferri potest iudicium de reliquis negotiis, ubi mutuae et aequales praestationes requiruntur, ita ut ubi tales praestationes occurrant, semper lex nostra locum inueniat.

§. XXIII.

Antequam uero finem Dissertationi nostrae imponamus, operae pretium erit, quaedam addere de transactione, et quatenus *I. 2. C. de rescind. vendit.* in hac locum inueniat. Hic sane maximus Dd. dissensus deprehenditur, ut fere dicendum sit, omnia esse in certa. Praxis quidem, praesertim Saxonica, teste *Carpz. P. 2. C. 34. def. 1.* confirmat, legem nostram in transactionibus locum habere, eamque ob laesionem enormem rescindi posse, quamuis et lenenses apud *Ricbier. Dec. 99.* et Facultas Viadriana ap. *Stryck. Cautel. Contr. Sect. 3. c. 7. §. 21.* pro rescissione transactionis ex capite laesisionis pronuntiarunt. Insuper quod Cameram Imperii attinet, de usu nostrae legis in causis transactionis testatur *Mynsinger Centur. VI. obs. 97.* modo transactione peracta instrumenta inueniantur, ex qui-

quibus alter transigentium demonstrare possit, se minus dimidio debito accepisse, insimulque quod attinet Praxin Ducatus Magdeb. per *Ord. Polit. c. 46. §. 1.* a rescindente probetur, se tempore transactionis haec instrumenta ignorasse. Interim tamen plerique Dd. hanc Praxin de transactione extra iudiciali tantum intelligunt, rescissionem autem transactionis iudicialis uel iudicialiter confirmatae nunquam admittunt, *Conf. Stru. Decis. Sabbath. 35. c. 2. Magnif. Dn. Wernber P. 6. obs. 474.* nec locum rescissioni relinquunt si uterque transigentium de quantitate et ualore rei, de qua transigitur, certior redditus nihilominus transigit *Leyser in Medit. ad ff. spec. 46. medit. 7.*

§. XXIV.

Nos autem his omnibus non commouemur, ut Praxi illi subscribamus. In genere potius statuimus, praxin hanc oppido aduersari theoriae iuris, nec unquam concedendum esse remedium ex nostra lege, contra transactionem, siue illa sit iudicialis siue extrajudicialis. Ingenere enim notandum est, sententiam illam, quod lex nostra in transactione locum inueniat, fluxisse ex male intellecta. *C. de dolo malo*, quod animaduerit *Berl. P. 2. Concl. 42. n. 3. Wiffenb. ad d. l. s.* In hac enim lege filiae emancipatae, quae cum patre super causa gestae tutelae bona fide transegerat, ob immodicam laesionem actio in factum conceditur, et exinde Dd. statim regulam formarunt, quod ingenere transactio ob laesionem enormem rescindi possit. Ast sensus legis plane aliis est. Praefupponit enim, transactionem factam fuisse dolose, quod non solum rubrica tituli *de dolo malo*, sed etiam ipsa uerba legi inseruntur:

serta: *bona fide*: satis innuunt. Imperator itaque filiae, qua cum pater dolose transegerat, succurrerit, et ipsi non quidem actionem de dolo, concedit, cum haec contrariatur reuerentiae patri debitae, interim tamen eidem actionem in factum saluam relinquit, id quod optimo iure nititur, dolum enim obesse transactioni, patet *ex l. 9. §. 1. ff. de transact. l. 42. C. eod.* et sicuti dolus rescindit rem iudicatam, ita quoque transactionem, quae rei iudicatae similis est. *Huber. Prael. ad tit. ff. de transact. n. 10.* Exinde autem non euincitur, quod transaction quoque ob laesionem enormem, quae sine utriusque transigentis dolo contigit, *ex l. 2. C. de rescind. uendit.* reuocari possit. Maximum quidem robur dissentientes suae sententiae accedere putant, quod *in d. l. 5. de dolo malo* tantummodo mentio fiat laesionis immodicæ. Sed hoc nihil ad rem confert, cum actio de dolo ob modicam summam non detur *l. 9. §. ult. l. 10. ff. de dolo malo.* adeoque cuilibet statim in oculos incurrit, Imperatoris mentem plane non fuisse, concedere rescissionem transactionis ob laesionem enormem, sed filiae emancipatae cum patre transigente, et ab hoc deceptae succendum putat. Plura de interpretatione *d. l. 5.* profert *Vinn. Select. Iur. quaest. L. 1. c. 57. et Berger. Resol. Lauterb. tit. de rescind. uendit. qu. VII.*

§. XXV.

Plures autem se se offerunt rationes, quod contra transactionem, siue illa sit judicialis, siue extra judicialis, non concedendum sit remedium ex nostra legge. Nam 1) lex nostra semper cessat, quando negotium

tium celebratum est, quod aleam continet e. g. Sponsio, haereditas tanquam spes emta, iactus retis emitus l. 10. et 11. de hered. uel action. uend. Eiusmodi autem negotiis quoque accensetur transactio, hanc enim aleam continere, patet ex l. 65. ff. de conduct. indebit. Deinde quoque similis est emtioni spei, in qua rescissio locum non habet, quod pluribus demonstrat Thomas. d. diff. c. 3. §. 8. Porro notum est, transactio-
nem comparatam esse ad lites finiendas l. 7. C. de
transact. adeoque iuramento aequiparatur l. 1. et 2. ff.
de tureiur. Sicuti itaque iuramento praestito sufficiat,
quod iuratum sit, et deinde non amplius inquiratur,
an reuera debeat. l. 5. §. 2. ff. eod. ita quoque trans-
actione semel interposita satis est, quod transactum
sit, nullo habito respectu, an alter transigentium
enormiter laesus sit nec ne. Alias enim loco speratae
abolitionis litium potius rixarum seminarium plan-
taretur c. 1. X. de transact. et sic finis quoque, qui ab-
initio transactionis intenditur, scilicet abolitio rixa-
rum, non obtineretur. Deinde inter omnes constat,
non nisi de re dubia transigi posse l. 1. ff. de transact.
qualis etiam est, si lis iuste metuitur l. 2. C. eod. adeo-
que impossibile est, laesionem in re dubia dijudicare.
Quotiescumque enim lex nostra utiliter applicari uult,
requiritur semper, ut adsit res certa. Hac autem
in transactione cessante, et laesio et remedium ex le-
ge nostra cessat. Ne dicam, transactionem aequi-
parari rei iudicatae, et illi eosdem effectus tribui l. 20.
C. eod. Sicuti itaque res iudicata ob laesionem enor-
mem non resciaditur, l. 4. C. de re. iudic. ita nec
in transactione hoc procedit. Postremo sententiam
nostram, quod transactio ob laesionem immodicam

re-



rescindi non possit, satis confirmat l. 78. §. ult. ff. ad SCium Trebell. in hac enim proponitur casus, an transactio, quae super hereditate, inter heredem fideicommissarium et fiduciarium interuenit, irrita declarari, et fideicommissi nomine adhuc agi possit, quando appareat, quadruplo amplius in hereditate fuisse, quam heres fiduciarius ex causa fidei commissi restituerat? Qui casus a ICto negatiue deciditur. Et exinde firmiter concludere possumus: Si non potest agi fideicommissi nomine in reliquum, si semel transactum est, sane transactio bona fide interposita praetextu laesionis non rescindenda est. Conf. Berger Resol. Lauterb. d. l.

§. XXVI.

Et haec sufficient dicta pro institutione. Restarent quidem adhuc plura, sed hic non animus est tractatum conscribere. Hinc potiora elegimus, et quid nobis de Aequitate et Vsu Practico l. 2. C. de rescind. vend. usum est, proposuimus. Iniquam postremo B.L. censuram deprecamur, et gratias Deo T.O.M. pro concessa in hoc laboris genere clementia persoluimus.

F I N I S.



NOBILISSIMO ATQVE DO-
CTIASSIMO
D O M I N O
RESPONDENTI

S. P. D.

D. IO. GODOFRED. SCHAVMBVRG
PRAESES.



cientiam Iuris latissi-
me patere, multa-
que suo ambitu con-
tinere, palam est. Illa
enim res diuinis atque huma-
nas,

D

nas, iuris publici, priuatique ex-
ercitionem, iusti atque iniusti
discretionem, aequitatis quo-
que temperamentum sibi vindicat.
Licet itaque haec omnia, si
ex affe addisci uelint, continuam
annorum seriem, et plus, quam
seculi spatium desiderent, de-
prehendi tamen, **TE NOBILIS-**
SIME HENRICE ABRAHAME
HILBERTE in omnibus ita uer-
satum esse, ut, quantum memi-
ni, nemine hacdum familiariter
ufus sim, qui **TE** iuris scientia
antecederet. Optime uero in
spe-

2611

D

specimine de Aequitate et *Vsu*
Practico l. 2. C. de rescind. uendit.
edito demonstras, TE non so-
lum iusta et iniusta probe di-
scernere, sed etiam, si ratio ita
fert, leges ad aequitatem natu-
ralem reuocare posse. Gratu-
lor itaque TIBI maxime de pro-
fectibus in Iuris scientia acquisi-
tis, gratulor quoque mihi, quod
me tam felicem esse contigerit,
in amicitiam TVAM perueni-
re. Progressum insuper studio-
rum exoptatissimum, et digna

D 2 tan-

tandem praemia TIBI animi-
tus appreco, nihilque magis
in uotis habeo, quam ut Deus
Patriam, non minus, ac TE
ipsum fructus inde capere iubeat
uberrimos. VALE! Dabam e

Museo d. XII. Nouembr.

CIO CI CC XXV.





Da DEIN geehrter Fuß auf den Cathe-
der steigt/
Ists billig/ daß mein Kiel DJR sei-
ne Pflicht bezeigt/
Ich will / ich soll / ich muß zu DEY-
NEM Ruhme melden:
Astraea fröhnte DJCH als einen muntern Helden.

Ich nenne DJCH / Mein Freund / der The-
mis ächtes Kind /
An Dem selbst Leucoris nichts als Vergnügen
findt.
Wer Tiraquellus und Papinian gewesen /
Das kan man allbereits an DEINER Stirne
lesen.

Der Geist Justinians belebet DEINE Brust.
Was Caius und Levin vor Wissenschaft gewußt/
Das hat man in der That schon bey DJR wahrge-
nommen:
Gewiß sehr wenig sind so weit als DU gekommen.

D 3

Ich

Ich schmeichle DIR ist nicht / denn selbst der
bleiche Neid
Bewundert DEINEN Wiss / Geist und Ge-
lehrsamkeit.
Wer DICH gehöret hat / muß DIR das Zeug-
niß stellen :
DICH konne keiner nicht im Disputiren fällen.

DU trugst den Lorber-Cranz und Palmen-Zweig
davon
Astraea gab DIR selbst den zugesuchten Lohn.
Besonders must ich mich ganz unvermögend nennen/
Ich mußte DIR im Kampf des Sieges Vorzug
gönnen.

So ziebst DU dennoch fort mit Lob und voller Lust/
Ich aber läge DICH in meine treue Brust.
Der Himmel wolle selbst DEIN Thun nach Wün-
schen fügen/
Es mehre sich DEIN Ruhm / und wachse DEIN
Vergnügen.

Hiermit wolte dem Herrn Respondenten zu dem mit
Ruhme abgelegten Specimine aufrichtig gratuliren

Friedrich Adolph von Döring/
Hohenstadiens Misnicus.

Madri-

Madrigal.

Ein großer Fleiß,
Behält den Preis,
Durch fleißiges Studiren,
Das DU getrieben hast,
Recht in der That,
Mit großen Nutz und Rath,
Jedoch mit leichter Last
Die Proben thun auch kund,
Dass DU allzeit und Stund
Hast müssen vigiliren.

O Werther Freund! DU wilst nun von uns scheiden,
Dein Ruhm erschalle weit,
Dein Arbeit ist beehrt, mit großer Lust und Freuden,
Weil nummehr Themis Dir verdiente Palmen streut.

Mit diesem Wenigen wolte sich seinem werthgeschätzten Freund gratulando bester massen recommendiren

David Schumann | J. V. Stud.

Sein Hilbert/Werther Freund/von Nutz und Billigkeit /

So man in Praxi sucht, hast DU gelehrt gestritten.
Da man DFR nun zulegt die Sieges-Palmen heut,
So eilst DU von dem Platz mit rechten frohen Schritten.
Ich, der ich selbst hiervon ein treuer Zeuge bin,
Und DFE als Sieger seh, ruff aus ergeben Sinn,
DFR dir noch freudig zu: Dich müsse vor viel Leuten
So Nutz als Billigkeit in Praxi stets begleiten.

Dieses schrieb aus verbundener Gemüthe seinem werthesten
Freunde gratulirend Dessen ergebenster Diener

Ephraim Lebe-Gott Kellner)

LL. Stud. Zehr. Misn.

So spielt der Menschen-Zeit / so spielt der Menschen-Glücke /
Bald schenkt es unsern Mund nur Gall und Wermuth ein /
Bald zeigt es wiederum uns lauter frohe Blücke /
Und folgt auf Blitz und Schlag auch wieder Sonnen-Schein.
Ich kan / **Geliebtestes** von D^IR ein gleiches sagen /
Wie das Verhängniß pflegt mit Menschen umzugehn :
Nächst wolte D^IE^H der Tod / aus unsern Augen tragen /
Jetzt aber kanst DU frisch auf den Catheder stehn.
Gleich wie ich aber D^IR bey jenen trüben Zeiten /
So viel mir möglich war / hab treue Hand geleist /
So fordert Schuld und Pflicht auch jetzt mit D^IR zu streiten /
Weil D^IE^H zugleich von uns das Schicksal scheiden heißt.
Drum gratulir ich D^IR zu DE^INEN Klugheits Proben /
So DU am heutgen Tag mit Ruhme ab gelegt /
Ich solte billig zwar nach Würden D^IE^H jetzt loben /
Alleine weil wir stets ein Herz und Sinn gehegt :
So will ich einen Wunsch auf DE^INEN Abschied legen /
Der herzlich wohl gemeint und ohne Falschheit sey :
Der Himmel setze D^IE^H zu lauter Glück und Seegen /
Und lege mit der Zeit D^IR was **Erwünschtes** bey.
Zulekt weil Du nun wilt von unsern Gränzen fliehen /
(Ob solches mir gleich schwer und fast nicht möglich scheint)
So las / **Bergieß mein nicht** / in DE^INEN Herzen
blühen /

Sie blüth in meiner Brust. Adieu mein bester Freund.

Mit diesen wenigen wolte sich seinen vertrautesten JO.
NATHAN gratulando bestens recommandiren

Joh. Gottfried Hauschild /
LL. Cult. Altenburgens.



Wittenberg, Dres., 1725



3


f

30 SKK

SB

WD 18
WD 18 kat 12





XXVIII.

1725 24
22

DISSERTATIO IVRIDICA
DE
AEQVITATE
ET
VSV PRACTICO

L. 2. C. d

P R

IOHANNE
SCHAV

I. V. D. ADVOC. I.
REGIM. S

IN ILLVSTRI A

DIE XII. N
HO

IN AVDIT
PVBL

HENRICO AB
LL. CVLT

VITEMBERGAE, P

